

Christian Albrecht Döderlein

**De Dono Spiritus Sancti, Ad Episcopi Ministerium Haud Alligato,
Commentatiuncula Prima : Qua Festum Pentecostes Pie Celebrandum Indicit ; [P.
P. Sub Sigillo Rectorali Fer. I. Pentecostes. MDCCLX.]**

Rostochii: Adler, [1760]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn831853352>

Druck Freier  Zugang





a. B.
48. b. 41.

66


429

Fa-1092 (66.)




1. Baur de regendis limitibus criticis textus Hebraici.
2. Cotta de varia theologiae proaeptim dogmaticam tradendi ratione.
3. Cotta de recta theologiae dogmaticae conformatione.
4. Ernesti de Lucae et Iosephi in morte Herodis Agrippae consensu.
5. Franz de coelibatu ecclesiastico specimen primum. etc.
6. Hofmannus. Num angeli boni corpora hominum interdum obfidant?
7. Hofmannus celeritatem conversionis hominum in signa efficaciae verbi divini argumentum brevibus persequitur etc.
8. Kalschub providentiam Dei circa res singulares demonstrat ac partim vindicat.
9. Labes de efficacia sacrae scripturae super naturali.
10. Nagelius. de factis quibusdam Iacobi Patriarchae illustribus, secundum usum naturae consideratis.
11. Ernesti de difficultate interpretationis grammaticae novi Testamenti.
12. Mitternweg. Disputatio anti-blanchiniana.
13. Ernesti de Origene interpretationis librorum s. grammaticae auctore.
14. Ernesti specimen castigationum in Wellstemii editionem N. Testamenti.
15. Doederlein de dono spiritus sancti, ad episcopi ministerium rite alligato. com. I.
16. Lamius. deß ein datholischer Leudisfrow in G. und von Rindfuchsfrow fainor asaugeliffen Uebelthoer die zu nocht unu, nicht loblich / pag.
17. Michaelis de variis lectionibus N. Testamenti, caute colligendis et divinis, caeteris et c.
18. Vani. Giff. Disputatio de Locus, deß die dandfaying für die arapfobouan in den fangstiffen dieß nicht vains et c. pag.
19. Lamius, deß nicht die in quosdam huiusmodi huiusmodi affariolß arborum lingua.
20. Lamius non die arborum dicitur die arborum Lamius arborum huiusmodi.
21. Boyfen acta inter s. Cyprianum et Stephanum in disputatione de haereticis baptizandis collecta, vindicata ac animaduersionibus perperit illud.
22. Gottschedii invitatio ad memoriam Philippi Melancthonis publice revolvendam.
23. Franc. Albert. Aepinus de modo quacivitationis Paullinae, per exegetin dicti I Corin II. 4. 5.
24. Huthii Petrus, non Petra.
25. Burgmannus de Iudaeis eode et conpunctis.
26. Fischer de vita, fati et scriptis Luteraninis.
27. Burgmannus de non confirmatis patribus V. T. ad dictum Paulli in epist. ad Hebr. XI. 29. 40.
28. Handwig de calculo in glandulis sublingualibus reperto.
29. Bagge de bonis operibus, num et quatenus signa salutis dici possint?
30. Meyer de Pontificis Leonis X. processum aduersus Lutherum in probantibus, Aquantum Pontificis Rasmus B. Lutheri, ipsi non diffidentibus, profuerit?
31. A. Reelen de re in nis sabbathicis ex antiquitate, et c.
32. Wüstemannus de natura methodi mathematicae, eiusque usu in Philosophia ac Theologia.
33. Zachariae Christum ηζωτοτορον confiderandum ficit, et c.

2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14




DE
DONO
SPIRITVS SANCTI,
AD
EPISCOPI MINISTERIVM
HAVD ALLIGATO,
COMMENTATIVNCVLA PRIMA.



QVA
FESTVM PENTECOSTES
PIE CELEBRANDVM
INDICIT

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS
P. T. RECTOR
CHRISTIAN. ALBERT. DOEDERLEIN,
SS. THEOL. D. ET P. P. O. VT ET CONSIST. DVCAL,
CONSIL.




ROSTOCHII,
LITTERIS I. I. ADLERI, SEREN. DVICIS REGN. AVLICE
ET ACADEMIAE TYPOGRAPHI.



I. N. J.



Quod Deus olim per prophetas promiserat, quo MES-
SIAE regnum quam maxime foret illustrandum,
Spiritus S. nimirum larga effusio super omnes, qui
Messiam digne essent recepturi; id quidem primis
statim N. T. temporibus illustri modo est adimple-
tum, & adhuc adimplebitur usque ad consummationem saeculi.
ACT. II. 16. 17. 33. 38. IOANN. XIV. 15. 16. Totum vero
istud, quemadmodum neque ipsam Spiritus S. sacrosanctam per-
sonam concernit, quasi ipse Spiritus antea haud fuerit, sed ad dona
ipsius hominibus gratiose collata pertinet: neque etiam dona in se
& simpliciter, quasi fideles V. T. eorum plane fuerint expertes, sed
illustriorem modo eorum mensuram atque copiam; ita in his donis
eorumque copia praecipua versatur temporum Messiae, prae priscis
temporibus, dignitas atque splendor. Quocirca & christiano homini
assidua atque iugi meditatione opus est, tum ad explorandum semet-
ipsum, num his verorum discipulorum IESU CHRISTI signis
atque ornamentis sit instructus, sine quibus media in christiana ec-
clesia Christianus esse haud potest, ROM. VIII. 9: tum ad pensi-
randum, quam illustri & excelso loco sit constitutus is, qui Christo
vere obtemperat, utpote qui ipsius Spiritus S. sit templum atque
mansio, obsignatus hoc divino pignore ad vitam longe beatiorem,
quam quae huius saeculi bonis & gaudiis continetur. Quibus cogi-
tationibus



rationibus nihil efficacius est ad excitandos animos, ut impuras vitae praesentis cupiditates longe infra se positas despiciant, excelsoque animo suam tueantur dignitatem, ad majora, beatiora, diviniora, concitato gradu properantes, quo per illius divini Spiritus, in Christo ipsis promissi atque concessi, gratiam atque robur, attingant finem, infinitis modis superantem totum illud, quidquid in his terris beatum atque jucundum videtur, 2 CORINTH. VII. I. Quocirca pia antiquitas satis mature inter reliqua festa, insignioribus quibusdam Dei beneficiis contemplandis dicata, Pentecostes diem sancte observare, summumque istud Spiritus S. donum religiose meditari iussit. Quod officium, CIVES, ut & VOBIS commendem, & ad vitam Christiano homine dignam non his solum festis diebus, sed quovis tempore vivendam, quantum in me est, excitem; nonnulla de errore, quo donum Spiritus S. ad episcopi ministerium alligari coepit, pauca praefari consultum duxi. Est enim futilis ista opinio non solum mater infelix multorum errorum aliorum per totum christianae doctrinae systema vagantium: sed eadem illa, utpote quae cum execrando errore de opere, ut vocant, operato, arctissimo vinculo conjuncta est, in vitae praxim tam facile, sed & tam perniciose influit, ut multi, qui theoretice, ut ita dicam, sive quod ad doctrinam attinet, longissime sese a consortio hujus erroris remotos esse arbitrantur, si rem ipsam & vitam eorum spectes, profundissime eidem immersi sint: qua quidem erronea opinione ducti, Spiritus S. dona se habere autumant, omnemque feriam explorationem status atque vitae suae flocci pendentem, sine spiritu secure carnis vitam vivunt. Quibus, quanto errore, quantoque periculo salutis teneantur, si audire velint, summo studio indicandum est.

§. II.

Quo vero totam causam aptius atque concinnius possimus disputare; paucula praelibabo de historia hujus erroris. Sunt enim complures, qui eandem ex instituto & copiose tractandam sumserunt: omnes nimirum, qui de fictitio Pontificiorum sacramento confirmationis, aut ad defendendum exornandumque illud, aut ad refutandum, commentati sunt, quosque magno numero alii nominarunt.


narunt. *) Verumtamen nihil his ex recentioribus eruditorum observationibus addi, aut multa dilucidius aptiorique ordine proponi haud posse, putare qui vellet, falleretur vehementer. Concludam paucis quibusdam observationibus, quae hujus rei accurata meditatio ex ipsa praeceptorum monumentorum inspectione suppeditare potest, ac quibus nonnulla in praestantissimorum doctorum dictis suppleri, nonnulla etiam luculentius declarari possunt. Atque hoc quidem antiquitatum ecclesiasticarum studiosis nec ingratum, nec ulteriori inquisitione indignum fore arbitror. Quo facto deinceps ecclesiarum nostrarum pia sententia declarata recteque explicata, ostendam, quomodo cuncta in prima ecclesiarum institutione prudentissimo b. LVTHERI, caeterorumque doctorum consilio, eo translata sint, ut in ipso vitae usu, abominandum superstitionis & operis operati errorem evitantes, verumque ac solidum Spiritus S. donum via atque ratione a Deo instituta, adepti, non doctrinae formulis tantum, sed vita ipsa sejungamus nos a romanae ecclesiae aliarumque sectarum fermento.

§. III.

Illud quidem primo nullum ecclesiae evangelicae alumnum fugere facile poterit, fuisse a Christo apostolis non solum dona quaedam Spiritus S. plane miraculosa & extraordinaria concessa, sed & potestatem datam iisdem, ut eadem dona, prout ecclesiae plantandae necessitas postularet, aliis conferrent. Erant eiusmodi dona non solum charismata linguarum, sed & alii miraculosi effectus, quorum facultas credentibus ita concedebatur, ut uno quasi & sensibili impetu illis replerentur. ACT. II. 3. 4. ACT. X. 44. 46. I CORINTH. XII. 4. sqq. Haec vero charismata probe distinguenda esse a dono Spiritus S. ordinario, quod promissum est omnibus fidelibus usque ad consummationem saeculi, & res ipsa loquitur, & multa historiae sacrae momenta aperte indicant. Etenim nec ipsis Apostolorum temporibus dona ista extraordinaria omnibus,

A 3 qui

*) Vid. JO. ALB. FABRICII bibliogr. antiq. C. XI. §. XXV. p. 391. ff. CHRIST. MATH. PFAEFFII origines jur. eccles. C. III. Artic. III. Not. k. pag. 136.




qui Christiani fiebant, contigerunt, quos tamen Spiritum S. accepisse, aliis locis scriptura disterte testatur: nec alius ullus christianae ecclesiae doctor aut praefectus unquam eadem ulli contulisse legitur, ut propterea totum istud Apostolorum privilegium plane singulare fuerit, tamdiu modo duraturum, dum ecclesiae prima initia per Apostolorum ministerium satis roboris atque stabilitatis ceperint. Non solum Antiochenorum praestantissima ecclesia, quod b. CHEMNITIVS dudum observavit, *) huic rei argumento est, utpote ad quam nullus Apostolorum missus legitur, quo miraculosa ista dona fidelibus illis conferrentur, quod alias nonnunquam factum esse invenimus. ACT. VIII. 14. 15. XI. 20-23: sed ipsi Romani, quorum fervor fidei ubique praedicabatur, a nullo Apostolorum videntur primo instituti, multo minus miraculosis charismatibus eo tempore instructi fuisse, quo Paulus divinam illam epistolam ad eos scripserat. Quomocunque enim res se habeat, cum Petri romano itinere; eo tamen tempore, quo Paulus scripsit, illud nondum contigisse, tam certum est, ut ipsos cordatiores ex romanae ecclesiae coetu, jam pudeat, contrarium asserere. Iam vero tum temporis miraculosa charismata inter Romanos haud viguisse, exinde conficitur, quod Paulus ob hoc ipsum dicit se desiderio eos videndi teneri, ut illis nonnulla ejusmodi dona impertiat, Cap. I. II. Hanc enim horum verborum vim esse, nemo facile dubitaverit, cui ecclesiae apostolicae rationes, atque sacrorum N. T. scriptorum locutiones paulo accuratius sint perspectae. Etenim haec ipsa vox, *χαρισμα*, quamvis in universum gratiae dona, etiam ordinaria, omnibus fidelibus communia, indicet, semper tamen & sola adhibetur, si de donis miraculosis scriptores s. loquuntur: et, quod jam praecipuum est, in hoc versabatur praestantia atque gloria ecclesiarum ab ipsis apostolis plantatarum, hocque erat signum verorum Apostolorum, quo superabant non solum falsos apostolos, sed & reliquos veros doctores, qui gradu inferiores erant Apostolis, ut ecclesiae ab illis plantatae ipsorum ministerio instructae essent miraculosis donis, quibus caeterae non aequae gaudebant ecclesiae. Hoc sensu gratias agit Paulus Deo pro Corinthiis, quod ipse ministerio omnibus

*) in Exam. concil. Trident. de confirmat. p. m. 251. 253.



omnibus ornati sint miraculosis donis, quae a veris Apostolis profici solebat, quodque propterea nulla in re inferiores sint reliquis ecclesiis apostolicis: quam ipsam rem Apostolus confert ad defendendum se contra falsos Apostolos, qui ipsi nomen & gloriam Apostoli detrahere conabantur. Vid. I CORINTH. I. 7. 2 CORINTH. XII. 12. 13. Romanos igitur, quos nullus adhuc Apostolorum inviserat, cum carerent his gratiae ornamentis atque donis, Apostolus videre, illosque his ipsis donis beare cupiebat, quo, cum in ordinariis donis tam egregium gradum essent consecuti, etiam in miraculosis charismatibus aequarent reliquas ecclesias apostolicas*). Jam vero hi ipsi Romani, destituti miraculosis donis, quorum propterea per totam epistolam vix aliqua mentio iniicitur, praeterquam quod cap. XII. 6, prophetia commemoratur, quia fortasse nonnulli prophetae ex aliis ecclesiis eo venerant, quod & Antiochenae ecclesiae acciderat, ACT. XI. 27: hi ipsi inquam Romani, adhuc destituti donis miraculosis, totam mensuram donorum ordinariorum erant consecuti, spiritu Christi gaudebant, eoque erant obsignati tum ad jus filiorum Dei, cum ad robur spirituale in vincendis hostibus, agendaque vita divina. vid. cap. VIII. 9-17. Quo circa deserunt ista charismata miraculosa, secundum sapientissimam dispensationem Dei, postquam ecclesia jam satis corroborata non amplius illis indigere videbatur: neque tamen propterea Spiritus S. reliqua dona, quibus omnibus christianis ad fidem & ad vitam opus est, cessauere. Atque pessime romani pontifis aetate ex istis universalibus promissionibus, quarum vis nunquam est interitura, conantur conficere, quod & totum istud, in quo versabatur collatio miraculorum donorum, solis apostolis propria, perdurare & retineri debeat in ecclesia. In his vero, callidissimus caeteroquin romanae superstitionis propugnator, ROB. BELLARMINVS, male consulit causae suae, cum ad primam hierosolymitanam concionem Petri apostoli provocans, quod hic auditoribus promitteret Spiritus S. donum, exinde concludit, hanc promissionem non posse de alio dono intelligi, nisi de illo ipso, quod apostoli eo die acceperant, atque propterea illud ipsum

*) conf. celeb. MICHAELIS Einleitung in die göttlichen Schriften des neuen Bundes, p. 534.




ipsum donum apostolis concessum, idem esse cum Spiritus S. dono omnibus christianis promisso*). Suo enim se iugulat gladio Bellarminus, qui contendit donum istud Spiritus S. pendere ab impositione manuum, apostolorum exemplo introducta. Atqui Petrus illud, quod auditoribus promittit, suspendit non ab impositione manuum, quae sit sacramentum a baptismo diversum, sed disertissimis verbis ab ipso baptismo, ACTOR. II. 38. Quare aut donum istud, quod omnes christiani essent accepturi, diversum est ab eo, quod apostoli isto die erant consecuti, quodque aliis rursus, interdum impositione manuum adhibita, conferebant, aut plane actum est de confirmatione pontificiorum, neque ab hoc humano ritu, sed a baptismo repetenda est Spiritus S. collatio.

§. IV.

Adhibebant Apostoli, quod modo monui, nonnunquam impositionem manuum in charismatibus istis miraculosis conferendis, ACTOR. VIII. 17. sed studio dixi, *nonnunquam*: neque enim semid quidem factum est, & nonnunquam legimus Spiritus S. sensibilia ista & praeter ordinem collata dona effusa fuisse inter ipsam evangelii praedicationem, nullo plane accedente externo ritu aut impositione manuum. ACTOR. X. 44. Ex quo uno jam satis dilucide intelligi potest, istum ritum ne ad miraculosa quidem dona necessarium aut a Deo praeceptum fuisse, multo minus vero iniunctum ad conferendam gratiam Spiritus S. ordinariam. Procul dubio Apostoli sua usi libertate, morem inter gentem suam ab antiquis temporibus receptum sequebantur, quo consueverant Judaei in apprecandis bonis impertiendaeque benedictione manuum impositionem adhibere, quamvis hac quidem in re neque praeceptum domini haberent apostoli, neque etiam illo indigerent: quoniam quivis christianus suae gentis consuetudines, quae nec impiae sint, neque offensionem afferant, recte sequitur sine ullo expresso mandato divino. Adhibebant equidem Judaei istum imponendarum manuum ritum ad multas alias causas**): sed ad rem nostram praesentem spectare primario arbitror istum

*) BELLARM. de confirm. c. 2. p. m. 84.


***) Qua de re videtis BASNAGII Exercit. sacr. & eccles. ad an. 35. n. 13.



istum, quem indicavi, casum apprecandi bona & impertiendi benedictionem. conf. GENES. XLVIII. 14. 15. MARC. X. 16. Quin &, quod Antiochena ecclesia fecitasse legitur, ACTOR. XIII. 3, ut Barnabae & Paulo dimittendo manus imponeret, alio spectasse non arbitror, nisi ut ipsis ad gravissimum a Deo demandatum negotium fausta quaevis apprecarentur. Neque enim ordinandi primum erant hi viri ad docendi munus, quod antea jam gesserant, v. 1. Atque propterea merum commentum videtur esse, quod quidam, quod de universa ecclesia dicitur, eam manus imposuisse, per synecdochen quandam ad duos aut tres reliquos doctores restringi cupiunt, a quibus Barnabas & Paulus tunc demum ordinati sint. Hoc enim si verum esset, ordinatio fieri debuisset ad Apostolatam: sed apostolus negat, se hoc munus accepisse ab hominibus, atque ne quidem per ministerium, sive ordinationem, hominum. GALAT. I. 1. Quare iste Antiochenorum ritus nihil aliud esse potuit, quam apprecatio quaedam benedictionis divinae ex more Judaeorum. Atque huc ego quidem referendum esse arbitror, quod Ananias Saulo manus imposuisse legitur, ACT. IX. 12. 17. Quod factum sane nullo modo eo pertinere potuit, ut Saulus per hanc manuum impositionem Spiritum S. consequeretur: cum neque in praecepto divino v. 12. aliud quid contineatur, nisi miraculosa sanatio Sauli; neque in executione v. 17, quamvis Ananias Spiritus Sancti mentionem injiciat, coeleste hoc donum re ipsa statim Saulo collatum esse queat, qui adhuc ne baptizatus quidem erat v. 18. Spiritum Sanctum vero cecidisse super aliquem, qui baptismo nondum erat initiatus, plane inauditum foret, totique repugnaret historiae apostolicae. Quo circa clarissime apparet, verba Ananiae ita esse explicanda, ut indicent non id, quod proxime per impositionem manuum esset eventurum, quippe quod consistebat in sola excoecatorum oculorum miraculosa sanatione; sed quod postea Saulus, interveniente baptismo demum esset consecuturus. Fatendum igitur est, hanc manuum impositionem, ut in universum in apprecandis quibusvis bonis, sic & edendis miraculis inter primos christianos fuisse usitatam. Jam vero, quanquam mea sententia mos apostolicus in conferendis charismatibus miraculosis, ad hunc communem Judaeorum ritum omnium commodissime possit referri; negare tamen omnino nolim, respexisse


B

simul



simul Apostolos ad alium peculiarem ritum quam maxime vulgarem inter Judaeos, ut doctores suos crearent per impositionem manuum. Etenim, quemadmodum recte dudum ostenderunt eruditi, hunc ritum secuti sunt apostoli in ordinandis ecclesiarum presbyteris atque praefectis: atque plane negari nequit, miraculosa charismata quibusdam per Apostolos collata, in primitiva ecclesia hanc praecipue ob causam necessaria fuisse, ne deessent viri ad docendum idonei; cum eorum copia inter primos Christianos haud facile haberi poterat, qui via ordinaria studiisque humanis sibi ejusmodi dotes comparassent, quae ecclesiae doctorem decent. Hanc ipsam enim ob causam, postquam viri haud deerant, qui sine miraculosis charismatibus doctorinae & administrationi ecclesiae praefici poterant, sapientia divina ejusmodi charismata cessare jussit. Erat autem inter Judaeos recepta opinio, se per istam manuum impositionem ab aliquo vultu doctore peractam, necens creatis doctoribus exhibere posse idem officium, quod Moses Josuae praestitit, cum illum successorem institueret regendae reipublicae, DEUTER. XXXIV. 9. *) Neque inepte conjicit VITRINGA, loco infra citato, retentum fuisse hunc ritum a Judaeis, ad adumbrandam collationem Spiritus S. iudicibus atque doctoribus necessariam ad recte obeundum munus suum. Ex quibus pronò alveo colligi licet, quomodo & quibus causis ducti Apostoli, cum christianorum nonnulli essent ornandi donis ejusmodi miraculose & sensibili modo effusis, adhiberent impositionem manuum. Nihil enim inter Judaeos notius erat, quam Josuam, quin & 70 illos seniores, a Mose, interveniente isto ritu exornatos esse donis plane extraordinariis ad munus sibi demandatum: atque ipsi Judaei, quamvis ejusmodi quid creandis doctoribus suis impertiri haud possent, ad repraesentandum tamen Mosis factum eundem observabant ritum. Apostoli igitur, cum se ipsa aequare Mosen, Discipulisque suis, quando visum erat Christo, eodem modo miraculose dotes ad docendum necessarias conferre possent, ritum hunc & modum, cui ex moribus antiquis gens tota assueta erat, ut adhiberent, manu quasi, & naturali quodam omni-

*) vid. SELDEN, de synedr. L. I. c. 14. L. II. c. 4. VITRINGA de synagog. L. III. P. I. c. 15.



bus communi more adducebantur. Ex his vero eo magis intelligitur, quam sint inepti pontificii, qui ex hoc ritu ab apostolis nonnumquam post baptismum adhibito, quaerunt patrocinium suo confirmationis sacramento. Quo magis enim cogimur fateri, totum illud apostolorum factum plane fuisse miraculose quid, & ad unas spectasse miraculosas dotes quibusdam Christianis conferendas, quae deinceps essent cessaturae, neque cuiquam alii christianorum unquam competiisse potestatem, pari modo impertiri Spiritus Sancti miraculosa charismata, nisi solis apostolis; hoc magis perspicimus gravissimum pondus argumenti, dudum a magno CHEMNITIO nostro contra romanae ecclesiae commentum adhibiti *), quod non magis manuum impositionem ad conferenda Spiritus S. dona imitari potuerit sequior aetas, quam sudariorum atque ipsius etiam umbrae usum, quo sanabant Apostoli miraculose modo corporis aegritudines. Atque hanc quidem ut gravissimam, ita & firmissimam conclusionem, sicco, ut solet, transit pede Bellarminus, quoniam fortasse ei solvenda imparem se sentiebat.


§. V.

Post Apostolorum tempora, cum cessarent Spiritus S. miraculosa charismata, praepostera imitatione factum est, ut praeter baptismum sensim alius ritus introduceretur, qui istam donorum extraordinariorum collationem ab Apostolis factam, quasi suppleret. Non distinguebant nimirum posteriores ecclesiae doctores satis caute charismata miraculosa ab ordinariis: & cum viderent, prius istud genus nonnumquam ab Apostolis collatum esse post baptismum; perversa conclusione eo adducebantur, ut putarent, Spiritum S. non proprie in ipso baptismo effundi, sed alium adhuc ritum addendum esse, quo efficeretur & suppleretur istud, quod soli baptismo deesset. Hoc nimirum pertinet ad superstitionis prima semina, quod ipsa miraculosa facta Apostolorum referri coeperunt ad religionis christianae essentiam internamque constitutionem; quae vero cum re ipsa praestari haud amplius possent, variis tamen caeremoniis atque institutis arbitrariis, nunc a legibus veteris Test. nunc


B 2

ab

*) in Exam. concil. Trident. p. m. 253.



ab ipsis gentilibus desumptis, umbram hujus rei atque figuram referre voluerunt, hisque institutis humanis peculiarem tribuerunt supernaturalemque vim. Hinc Exorcistarum peculiaris ordo: hinc & caeremoniae sacro baptismo praeter institutionem divinam additae. Duplicem vero deprehendimus ejusmodi ritum, baptismo superad-
ditum: quorum alter ab altero probe distinguendus, planeque diversus censendus est; quamquam romana ecclesia, quae antiquitatis consensum falso jactitat, cum nullus propemodum coetus ab antiquissimis institutis longius recesserit, omnia misceat atque turber, quo superstitioni suae pallium induat. Quod quidem totum ex iis, quae in compendio sum dicturus, clarissime patebit. Atque primo quidem oleum adhiberi coepit, quo ungerentur baptizati, cui unctio tribuebant tantum, ut per eam demum putarent baptizatos Spiritum S. consequi. De modo quidem ipso hujus unctiois, quae baptismum partim praecedebat, partim sequebatur in nonnullis ecclesiis, disputare hujus loci non est; adeant, qui pleniorum hujus ritus notionem desiderant, Ex. c. IOACH. HILDEBRANDI Rituale baptismi vet. vel IOS. BINGHAM orig. eccl. volum. IV. De origine tantum & significatione hujus ritus pauca monere consultum duco, quo errorum fontes eo magis pateant. Atque hujus quidem ritus nulla apparent vestigia inter christianos orthodoxos, aetate saeculum secundum ad finem vergens. Nihil de illo IV STINVS M. quamvis in apologia sua ad Imperatorem Antoninum totum cultus externi rationem inter Christianos usitatam, ipsamque baptismi & sacrae coenae administrationem & modum luculenter enarret: sic ut plane nullum effugium relinquatur, quasi Iustinus ob disciplinam arcani hoc unctiois mysterium reticuerit. Neque enim unctio unquam majus mysterium reputatum est, quam ipse baptismus & sacra coena; neque etiam isto quidem tempore illa arcani discipline ita jam invaluerat inter Christianos, ut postea ex superstitione quadam, nec satis prudenti consilio, accidit. Nihil itidem de isto ritu apud IRENAEVM. Quin nec ipse CLEMENS ALEXANDRI-
NVS, qui caeteroquin multos habet superstitionis naevos, ejusmodi unctiois vel verbulo meminit. Sunt potius in hujus scriptis argumenta haud obscura obvia, quibus efficitur, unctioem hanc apud plerosque Christianorum tum temporis plane adhuc fuisse incognitam.




tam. Etenim de usu unktionis & unguentorum, quatenus Christianis ea conveniant, studiose & data opera disputans Clemens,*) non modo de unktione aliqua religiosa plane silet: sed & argumenta eorum, qui unktionis usum latius extendere cupiebant, quam CLEMENTI probabatur, ita enarrat, ut, cum in iis etiam nonnulla ex ipsa Scriptura S. desumpta occurrant, in hac disputatione quidem ut unktionis religiosae, si tunc inter Christianos usu recepta fuisset, nulla mentio injiceretur, fieri omnino haud potuisset. Atqui cuncta Clemens, quae de unktione in scriptura dicuntur, ad spirituales significationem transferens, non externa unktione dicit Christianis opus esse, sed exemplo Christi, interna participatione Spiritus Sancti, in quo consistat vera unctio, Christianos decens. In his ipsis tamen Clementis dictis nonnulla insunt, quae nos ad veram unktionis externae inter Christianos recipiendae originem ducunt. Etenim sub finem saeculi praepriis secundi, & initium tertii accidit, ut Christiani nimio caeremoniarum studio atque pompa capti, quidquid spirituali modo intra hominem accidere debet, quodque priscis quidem legis mosaicae temporibus ex ipso Dei instituto variis typis symbolisque externis erat praefiguratum, rursus ejusmodi typis externisque caeremoniis adumbrare, atque hoc modo cultum mosaicum postliminio quasi reducere inciperent: quod quidem imprudens consilium, quantum intulerit in ecclesiam damnum, & quam misere per illud vera religionis christianae indoles sit depravata, omnes norunt, qui ecclesiae res gestas vel leviter degustarunt. Cum igitur ex Scriptura S. recte docerent priores, christianos Spiritu S. intrinsecus ungi, beatumque hujus divini ornamentum imprimis baptismum esse, TIT. III. 5. 6.; sensim, ut haec mysterii plena res totaque spiritualis, oculis conspicienda quasi exhiberetur, olei unktionem externam adhibere coeperunt, a quo non modo in N. T. multas phrasas ad significandam Spiritus S. internam effusionem esse translatas videbant; sed quod ipsum in T. V. quoad externum etiam ritum ab ipso Deo erat institutum, ad depingenda Messiae beneficia, cunctis discipulis suis imperianda, Ad quem quidem ritum eo facilius delabi poterant, quod

B 3

isto


*) Paedag. L. II. c. VIII. p. m. 175. ff.




isto jam tempore, atque priusquam inter catholicos baptizati ungerentur, inter Gnosticos, Valentinianos praesertim, ejusmodi quid usu receptum erat, ut baptismo olei unctio adderetur: quod quidem ex Theodoti excerptis, a Clemente Alex. servatis, p. m. 800, recte jam observavit celeberr. PFAFFIUS, orig. Jur. eccles. C. III. artic. III. not. k. Catholici igitur, cum semel proficuum atque utile reputare coepissent, priscos mosaicos ritus, quantum fieri poterat, in ecclesiam reducere, inferiores esse hac in re Valentinianis haud voluerunt, ex ipsis suis, quamquam falsis & erroneis principiis, concedere Valentinianis coacti, quod recte & pie adhiberent oleum in baptismi administratione. Atque hanc quidem veram esse hujus unctiois originem, ipsi prisca doctores dubitare nos haud sinunt. Dissertis nimirum verbis TERTULLIANVS, qui primus inter ecclesiae patres hujus ritus meminit; *egressi de lavacro*, inquit, *PERVINGIMVR BENEDICTA VNCTIONE, DE PRISTINA DISCIPLINA*, i. e. ritu, ex disciplina Vet. T. assumpto. *De baptisim. C. 7.* Adhuc magis perspicue CYRILLVS HIEROSOL. qui admodum magnifice de unctioe sentiens, causam totam & originem caeremoniae hujus recipiendae aperit. Cum enim Cateches. III. Christianis dicat, chrisma post baptismum esse datum, quod imago sit ejus, quo inunctus est Christus, quodque sit Spiritus sanctus; longam simul instituit orationem, qua fundamenta & rationes hujus caeremoniae demonstrare conatur: cujus summa huc redit, quod quemadmodum sacerdotes V. T. oleo uncti sint, christiani vero non umbram, sed rem ipsam habeant, ita hi itidem oleo sint ungenti, quo ipsis afferatur Spiritus S. Admodum perverse equidem Cyrillus; utpote qui potius ita rationes subducere debuisset, quoniam Christiani habeant ipsum Spiritum S. ejusque dona, quae typice tantum praefigurata sint unctioe olei V. T. illis jam umbris nihil Christianis opus esse, per Christum abrogatis. *COLOSS. II. 17.* Interim hic ipse tamen Cyrilli locus totam nobis causam ostendit, quibus perverfis rationibus ducti Christiani ad hunc ritum delapsi sint.

§. VI.

Sed tria nobis circa hanc unctioem in praesentia imprimis notanda sunt. Ac *primo* quidem, ita eam fuisse antiquissimis temporibus




poribus cum baptismo conjunctam, ut partem illius constitueret necessariam atque essentialem, atque propterea nullo modo consideraretur tanquam ritus peculiaris, aut sacramentum a baptismo diversum. Quod quidem, 1) omnium clarissime ex ipsius CYPRIANI testimonio confici potest. Qui, in epistola ad Januarium, Opp. p. m. 40. *ungi quoque necesse est, inquit, eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, i. e. unctioe, esse unctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit.* Quorum verborum vim ut recte teneamus, Cyprianum observandum est in tota hac epistola pro hypothese sua, nimirum pro iterando baptismo ab haereticis jam collato, acriter pugnare, omniaque conquirere, unde opinioni suae speciem quandam inducere possit. In his vero illud etiam urget, quod cum baptismo conjuncta esse debeat unctio olei: quam cum haeretici, certe complures eorum, non habeant, nec habere possint, itidem nec baptismum eorum posse ratum esse. Qua quidem ex oratione recte concluditur, non iterato baptismo, non iteratam esse in prisca ecclesia unctioem: quare unctio pars baptismi habita fuerit, necesse est. Ast hanc verborum Cypriani protestatem callide dissimulavit Bellarminus: qui Cyprianum pro iterando baptismo pugnare, concedere quidem coactus est, sed astutis usus verbis, reiterationem baptismi in Cypriano ab ecclesia improbatam esse, non vero ea, quae de unctioe dixerit: quare nihil ex his verbis contra unctioem concludi posse. Quasi vero, Bellarmine! aliquis Protestantium ex hoc Cypriani loco unctioem ipsam unquam impugnaverit. Non id inde concludimus, ejusmodi ritum tum temporis in ecclesia non receptum fuisse: sed pro parte essentiali baptismi eundem fuisse habitum contendimus, qui sine baptismo nusquam fuerit administratus, ac cujus defectus ipsum baptismum faceret irritum. Quod quidem recte ex Cypriani oratione conficitur. Nisi enim haec opinio tum temporis in ecclesia fuisset recepta; nec Cyprianus potuisset inde argumentum contra baptismum ab haereticis collatum petere. Neque vero hoc tantum ex istis verbis recte concluditur; sed gravissimum simul eadem argumentum praebent, totum confirmationis romanae ecclesiae commentum plane alienum esse a sententiis atque decretis ecclesiae primitivae. Neque enim Pontificii istam unctioem, quam *confirmationem* vocant, statim cum




cum baptismo conjungunt: & quamvis baptismum plerorumque haereticorum in se validum putent, nec eum repetant, tamen unctio- nem istam necessario addendam esse statuunt, si quis haereticorum ad eos transferit: quod quidem istis in locis apud priscos, ubi impositio manuum usu recepta erat, uti deinceps ostendemus, haud fuit facilitatum. Valet autem haec Cypriani epistola ad Ianuarium ad aliam gravissimam argumentationem contra Pontificiorum confirmationem. Etenim perspicuis verbis, quae fucum plane nullum admittunt, Cyprianus collationem Spiritus Sancti ab unctio- ne, tanquam plane diversum ritum distinguit, atque innuit, adversarios Cypriani, STEPHANVM scilicet Romanum, ejusque amicos, quamquam baptismum haereticorum ratum habeant, collationem tamen Spiritus S. haereticis denegare. Sic enim Cyprianus argu- menta sua concludit: *Si rite baptizare possent haeretici, etiam Spiritum Sanctum possent conferre: jam vero id posterius quidem haereticis denegandum est, ex ipsorum nimirum adversariorum hypothese; ergo nec baptismum possunt efficacem conferre.* Sed vidimus antea jam, repetitionem unctio- nis ab adversariis Cypriani non fuisse necessariam reputatam: hinc & collationem Spiritus S. nec ipsi nec Cyprianus ab ista unctio- ne repetierunt, sed ab alio plane ritu, quem statim videbimus fuisse impositionem manuum. Sic enim res com- parata erat in prisca ecclesia, ut, ubi unctio sola adhibebatur, quod in orientali ecclesia fiebat, Spiritus S. collatio ipsi tribueretur: Ubi vero impositio manuum recepta erat, Spiritus S. donum non huic unctio- ni, sed imponendis adscriberetur manibus. Pontificii vero omnia miscentes, unctio- nem substituerunt in locum impositionis manuum prisca temporibus in romana ecclesia adhibitae, eandem- que avulserunt a baptismo tanquam peculiare sacramentum: nihilo- fecius tamen cuncta corradunt, quae de unctio- ne baptismali non modo, sed & de impositione manuum, in vetustis patrum monu- mentis inveniuntur, atque in unum istud confirmationis fictitium sacramentum conferunt. Veruntamen 2) alia etiam argumenta praesto sunt, quibus cogimur fateri, apud priscos Christianos unctio- nem olei plane ad baptismum ipsum, tanquam partem necessariam fuisse relata- m. Etenim ipse Bellarminus nobis argumentum gra- vissimum suppeditat: Qui cum Protestantium argumentationem,

a con-




a continua & lavacri & unctionis administratione petitam, refellere conetur: ex hoc quidem, inquit, nihil confici posse, propterea quod & ipse Eucharistiae usus in prisca ecclesia cum baptismo confestim eoque ipso die, quo quis baptizatus fuerit, esset conjunctus; neque tamen ex eo quemquam posse concludere, quod baptismus atque Eucharistia fuerint unum idemque sacramentum. *) Sed plane fallitur & fallit Bellarminus. Etenim quamquam Protestantibus aequè notum sit, post baptismum statim consecutum esse in prisca ecclesia S. Eucharistiae usum; hoc ipsum tamen, prout rem totam veteres enarrant, confirmat sententiam nostram, quod unctionis, & in nonnullis ecclesiis impositarum manuum ritus, ad baptismum ita sit relatus, ut unum idemque sacramentum cum eo constituerit. Cum enim veteres doctores omnem illius diei, quo quis baptizatus sit, solemnitatem persequuntur; semper duplicis tantum sacramenti, baptismi nimirum & s. coenae mentionem injiciunt, unctionem vero & impositionem manuum ommittunt. Hinc hos ritus aut ad sacram coenam, aut ad baptismum retulerint, necesse est. Prius nemo unquam affirmare ausus est: relinquatur ergo posterius. Sic JUSTINVS M. loco jam supra citato, ita refert totam receptionis in ecclesiae gremium formam, ut primo dicat, *Christianae religionis candidatum ad aquam deductum baptizatumque, deinceps continuo ad fratres reversum, osculoque pacis exceptum & ad s. Eucharistiae communionem admissum fuisse.* Quibus quidem ex verbis, ut jam supra recte nobis videmur conclusisse, ne receptam quidem fuisse unctionem tum temporis inter Christianos; ita multo magis istud commentum corrui, quasi unctio fuerit sacramentum peculiare, a baptismo & sacra coena diversum. Sed & ex ipso Cypriano idem firmissime colligitur. Qui quanquam, ut antea vidimus, & deinceps copiosius videbimus, Spiritus S. donum non proprie ex ipso aquae lavacro, sed ex alio quodam ritu superaddito, ex impositione nimirum manuum, cujus loco in aliis ecclesiis sola unctio erat usu recepta, repetat; tantum tamen abest, ut ex hoc ritu peculiare sacramentum a baptismo diversum exculpat, ut potius nonnullis in locis, id quod alias impositioni manuum tribuit, clarissimis

*) De confirmat. c. 7.



rissimis verbis ipsi baptismo acceptum referat. Ex. c. in Epistola ad Caecilium fratrem, opp. p. m. 53: PER BAPTISMA SPIRITVS SANCT. ACCIPITVR, inquit, & sic a baptizatis & Spiritum S. consecutis, ad bibendum Domini Calicem pervenitur. Vides Cyprianum, id quod impositioni manuum saepius adscribit, hoc loco ad baptismum referre. Sit igitur non solum unctio, sed ipsa manuum impositio, pars baptismi ex Cypriani sententia. Vides & illud, duos tantum diversos ritus in recipiendis Christianis commemorari, baptismum & sacram coenam. Falso igitur objicitur, quoniam etiam s. coena eodem die baptizatis concessa sit, quae tamen plane diversa sit a baptismo, ex eo, quod baptismus & unctio & manuum impositio se invicem continuo exceperint, non posse concludi, quod alter ritus alterius fuerit pars tantum. Etenim sacra coena in ista serie rituum a baptismo expresse distinguitur, tanquam peculiare sacramentum: non vero unctio & impositio manuum; sed duo tantum commemorantur ritus diversi, ad quorum alterum itaque reliqui ritus accessorii a priscis doctoribus relati sint, necesse est. Recte hinc colligitur, quod si alicubi Cyprianus videtur de baptismo & de unctioe ut de duplici sacramento loqui; sacramenti vocem longe aliter ab ipso accipi, quam nos hodie consuevimus; nimirum generatim pro ritu quolibet religioso, ita ut ex ejus sententia lavacrum aquae & unctio olei sint quidem duo ritus, sed unum totum constituentes. Quod vero longius persequi a proposito meo alienum est, cum quae jam satis bene dicta sunt, repetere & compilare nolim. Adde unum modo HIERONYMI locum, ubi pari modo receptio in Christianorum numerum ita describitur, ut duorum sacramentorum tantum, baptismi & eucharistiae vestigium adsit, contra Pelag. L. III. C. 5. : cum de baptismo surgimus, IN PRIMA STATIM COMMVNIONE dicimus, dimitte nobis debitanostra. Nihil hic aut de unctioe, aut de impositione manuum; quamquam vel hanc vel illam tunc temporis in cunctis ecclesiis usatam fuisse, certo certius sit. Retulit nimirum Hieronymus utrumque ritum, tamquam partem ad baptismum, neque illi in mentem venit, peculiare sacramentum inde conficere,



§. VII.

Alterum quod de unctio- nis ritu in praesentia observari velim, illud est, quod non ab episcopo praecise eum administrandum esse, sed quemlibet sacerdotem, qui baptismum administravit, & hunc ritum continuo addere debere, veteres censuerint, ita quidem, ut in illis ecclesiis, ubi sola unctio, nulla vero manuum impositio usitata erat, plane nihil episcopus ad totum hoc sacramentum contulerit. Id quod in orientali praesertim ecclesia contigit. *) Quod quidem ex eo primum conficitur, quod ubi manus ab episcopo post baptismum imponebantur, antiquissimis temporibus, & apud ipsum Cyprianum Corneliumque Romanum episcopum, locis postea citandis, ne minimum quidem appareat vestigium repetitae per episcopum unctio- nis: sed unctio, tamquam antea jam facta, supposita, ob hanc unam causam baptizatus dicitur ad episcopum fuisse deductus, ut ipsi manus imponantur. Deinceps apud istos auctores, qui in orientali ecclesia scripserunt, ubi nulla impositio manuum, totum bap- tismi ritum ita descriptum reperimus, ut continuo ille ipse sacerdos, qui baptizavit, addiderit totum illud, quod pontificii confirmatio- nem appellant. Ita SEVERVS Patriarcha in *vet. ord. baptismi*: ita PSEUDO-DIONYSIVS. quin & ipse CYRILLVS hierosolym. rotam rem ita enarrat, ut assertio nostra clarissime inde appareat. **) Hinc & apud Graecos ad hunc usque diem episcopi in unctio- ne, seu, ut ipsi Graeci hunc ritum appellant, confirmatione, nullae ne- cessariae partes sunt; sed is qui baptizat, etiam continuo addit un- ctionem confirmatoriam. †) unde rursus romanae ecclesiae fraus, cum se antiquitatis fuce ornare tentat, atque quam longe eadem a genui- na antiquitate recesserit, intelligitur: utpote quae unctio- nem a bap- tismo plane seiunctam, ut peculiarem ritum longe post baptismum ad- hibendum, solique episcopo reservandum, inde exculpsit.


C 2

§. VIII.

*) conf. CL. SALMASII apparatus ad libros de primatu papae. pag. 83. 84.


**) conf. HILDEBRAND. in *Ritual. bapt. vet.* p. 72. seqq.

†) Vid. JO. MICH. HEINECCII Abbildung der Gr. Kirche. P. II. c. 6. §. 48. p. 267. JAC. ELSNERI, neueste Beschreibung der Gr. Christen. C. 5. §. 68. p. 220.



S. VIII.


Tertium denique, quod circa unctionem addo, est, quod priscae doctores earum ecclesiarum, ubi sola unctio sine impositione manuum adhibita fuit, huic ritui collationem Spiritus S. in totum tribuerint: quod ex Tertulliano atque Cyrillo hierosol. manifeste cognoscitur. Etenim cum apostoli docuissent, Spiritum S. conferri per baptismum; id quidem decretum non simpliciter abjecerunt doctores priorum saeculorum, quippe qui ipsum hunc unctionis ritum tanquam partem necessariam referrent ad baptismum. Cum vero huic caeremoniae adscriberent donum Spiritus S. id quidem non fiebat in oppositione totius baptismi, sed tantum lavacri aquae. Totum baptismum consistere putabant ex duplici ritu: lavacro nimirum aquae & unctione, ad quam in nonnullis ecclesiis accedebat impositio manuum. Priori ritui tribuebant remissionem peccatorum; posteriori vero donum Spiritus S. Ita totus solidusque baptismus ex ipsorum opinione & remissionem peccatorum, & Spiritum S. affert. Non priuarunt itaque sacramentum ab ipso domino institutum ista efficacia, quam Scriptura sacra diserte affirmat: sed in eo tantum errarunt, quod ritui ab ipso Domino praescripto adderent alium ritum ab hominibus inventum, neque priorem putarent ad totum effectum producendum sufficere, nisi accederet posterior. Atque id quidem ex male intellectis Christi verbis, qui hominem renasci jubet ex *aqua & spiritu*, IOA. III. 6. concludebant. Ubi, cum Christus unicum praescribat externum ritum, lavacrum aquae, indicetque, quatenus coelestis & divina effectio cum hoc lavacro sit conjuncta; doctores sensim, falsa persuasione, quasi Spiritus S. necessario per externam olei unctionem sit adumbrandus, eo perducti sunt, ut duplicem putarent ritum externum ad solidum baptismi effectum requiri, & aquae nimirum & olei usum. Qua quidem ex re novum defectiois romanae a puriori antiquitate enascitur argumentum. Etenim cum unctionem Pontificii plane a baptismo abstraxerint, peculiareque inde extruxerint sacramentum, primo quidem veterum dictis, quae sequi se dicebant, coacti sunt, baptismo abjudicantes collationem Spiritus Sancti, suo commentitio confirmationis sacramento eam totam tribuere. Postea vero cum eos ipsos



iplos hujus impudentiae poenitere coepisset; novum excogitarunt commentum, Spiritum S. quidem conferri in baptismo dictitantes, sed uberiora tamen illius dona a confirmatione proficisci. Quod quidem dogma nemini priscorum ecclesiae patrum unquam in mentem venit, ut qui ipsum Spiritus S. donum solide adscriberent aut unctioni aut impositioni manuum. Hinc quotquot etiam corradant pontificii veteris ecclesiae testimonia, de efficacia unctionis; nihil tamen ex istis juvantur. Longe aliter enim veteres totum istum ritum illiusque effectum interpretabantur, ac pontificii facere coacti sunt.

§. IX.

Veruntamen, ne hujus scriptiunculae modum atque fines transiliamus, reliqua tractatione ad proximam, quae se nobis offerret occasionem rejeeta, pauca adjiciam de pia ecclesiarum nostrarum doctrina circa divinum istud Spiritus S. donum: plura, quae proxime pertinent ad commentum de solo episcopo hujus doni collatore, dicturus in altera commentationculae hujus parte. Jam vero, quemadmodum evangelicae doctrinae pii restauratores praeclare distinxerunt donum Spiritus S. ordinarium a miraculosis istis charismaticis, quae primis ecclesiae temporibus viguerunt, quod discrimen neglectum fertilis mater multorum errorum circa hanc doctrinam fuit; ita unanimi consensu ecclesiae nostrae docent, neminem posse Christianum esse, nisi qui sit Spiritus S. quod ad dona ejus ordinaria, siue gratiam ordinariam attinet, particeps. Quod ut recte capiat, addunt aliud discrimen inter gratiam Spiritus S. adsistentem & inhabitantem. Priores gratiae adsistentis gradus ne uni quidem homini denegandi sunt, utpote qui pertinent ad gratiam praeparantem, qua omnes homines vocat Spiritus S. efficaciter ad Messiae regnum, atque pellit ministerio verbi sui animos, ad excitandos eosdem ex somno peccatorum, adducendosque ad quaerenda beneficia Christi. Nemo igitur per hos gratiae gradus, quamvis recte referri suo modo possint in donis Spiritus S. ordinariis, Christianus re ipsa est, sed praeparatur tantum, ut Christianus fiat. Quibus tamen procaciter haud reiectis, adduntur sublimiores gradus gratiae operantis, quae immutat hominis animum, ita ut indigentiae suae conscius,





dolensque pristinae vitae sordes, vera fide accensa, quaerat Christi auxilium, eumque, tanquam unum fontem salutis amplectatur. Hanc animi veram immutationem continuo sequitur gratia Spiritus S. inhabitans, cum re ipsa invenit homo omnes gratiae beatæque vitae thesauros, quibus repletus atque corroboratus facile fugit & vincit fallacia peccatorum gaudia, longe meliora adeptus. Atque hæc gratia inhabitans præcipue spectari solet, si de dono Spiritus S. ordinario disputatur, quo referenda sunt ROM. VIII. 9. 16. GALAT. III. 2. 14. IV. 6. I CORINTH. III. 16. VI. 19. 2 CORINTH. I. 21. 22. EPHES. I. 13. 14. aliaque innumera Scripturae S. loca. Habetis jam, Cives, quod meditatione vestra in his festis diebus dignum sit. Longe aberratis a recta salutis via, nisi hujus coelestis doni particeps sit animus vester. Longe remoti a Christo, falso jactantes ejus beneficia, sine Deo & Christo erratis in tenebris, ab omni vero solatio, & a tota vere beata vita vacui. Ecquid est gravius? quid est magis necessarium, aut homine dignius? quam ut exploretis vos ipsos, utrum Christi Spiritus in Vobis habitet. Nullum hæc meditatio locum relinquet sceleratis & a christiana vita longe remotis gratulationibus, quibus festi dies perdi sæpe, proh dolor! solent. Satis habebitis negotii, si inter piam verbi divini auscultationem & meditationem animos tollatis ad serias istas cogitationes de dono Spiritus Sancti, ardentibus precibus, ut e miserarium, quibus cuncti, qui peccatis serviunt, obruti sunt, barathro ereptos vos Christus eadem coelestis spiritus flammula beer, qua in majestatem suam ingressus, servos suos inde a primis temporibus replevit atque corroboravit ad vincendum mundum, & ad sequendum se usque ad æterni regni sui gloriam. Beatum negotium! siquidem sapere, Christoque de salute vestra æterni amoris visceribus sollicito obtemperare, sicque hoc Pentecostes festum benedictum initium æternæ gloriæ atque splendoris fieri cupitis,




P. P. SVB SIGILLO RECTORALI
FER, I. PENTECOSTES. MDCCLX.











fatuis illis Marianorum ignibus, cœlum adisse, invitus
 acobe Auguste Thuane, (nullos huic nomini titulos ad-
 scendit) & hanc mentem num in mortis etiam servavit
 ac panegyri ediffere. Ita verò hic (f) ultima Caroli
 usit: Nullâ re magis Carolus animi magnitudinem,
 aulsula, quâ Vir, alios vincere asvetus, seipsum vicit, vitæ
 xia, jam potiore mente agitans, antequam moreretur,
 publicæ vixerat, sibi, ac Deo cœpit vivere. Itaque toto
 n præcessit, in Hieronymianorum fratrum sodalitia,
 intinò quòdam, qui ei à sacris confessionibus erat, præ-
 tratis lectione se solabatur, & toto pectore in Deum re-
 atur: se quidem indignum esse, qui propriis meritis re-
 eret, sed Dominum Deum suum, qui illud duplici jure
 editate, & Passioni merito, altero contentum esse, al-
 tujus donò illud sibi meritò vindicet, hâcque fiducia fre-
 batur: neque enim oleum misericordiæ, nisi in vase fi-
 ominis fiduciam esse à se deficientis & innitentis domi-
 priis meritis fidere, non fidei, sed perfidiæ esse: peccata
 entiam, ideoque credere nos debere, peccata deleri non
 soli peccavimus, & in quem peccatum non cadit: per-
 ccata condonantur.

n ad lentam tabem febris acuta accessisset, imaginem
 tentidem in oculis, ulnis, ore & totâ mente complexus,
 alutis suæ spem collocare declaravit; fumoque viati-
 t, dulcissime Servator, ut ego in te maneam: in quæ
 m gloriosissima hinc vita defunctam DEO, qui dederat.
tenus Thuanus. Non absque læto pietatis sensu hæc
 res; Si hoc enim non est erroribus renunciare papais,
 gelicâ, nescio quid sit. Revocant in memoriam. (quod
 onendum duco) hæc ultima Gloriosissimi Imperatoris
 e, & vitæ valedixit officii, *Mane in me dulcissime Serva-
 am,* recentem aut antiquum (de cujus canitie me mo-
Creaturarum Domine Mancipium. Hoc est: *Modus
 in Mancipium. Multis ante seculis sanctè in Ecclesia
 in Italia & Germania evulgatus, nunc verò paullo fu-
 rà & studio Sodalium B. V. Coloniensium apud RR.
 Patres*

ib. XXI. Histor. fol. 428. 429.

